

strictus in eum sclopus in Crucifixi formam repente convertitur. Quo miraculo nefarius aggressor permotus, ad sancti viri pedes provolutus, tanti facinoris veniam enixe deprecatur.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica[m] fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

**Lectio vij.**

**H**umilitate ac patientia insignis, illud identidem usurpabat: Domine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas. Prophetico afflatus spiritu multa prædixit. Ignem signo crucis extinxit, tempestatem sedavit, ferarum impetus cohibuit, mortuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, surdis reddidit auditum. Tandem durius poenitentiae laboribus fractus, in morbum incidit, sacrisque mysteriis rite expiatus, migravit in cælum, septimo Idus Octobris, anno millésimo quingentesimo octogésimo primo, ætatis vero suæ

quingentesimo quinto. Quem multis etiam post obitum miraculis clarum Paulus quintus Beatorum, Clemens vero decimus Sanctorum numero ascripti. Ejus demum festum Alexander octavus instante rege catholico, ab universo ditionis ipsius clero sæculari, sub ritu duplici celebrandum decrevit, sanctumque Confessorem novi regni Granatensis patronum apostolica auctoritate declaravit.

**R.** Iste homo. [105]

**In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangelii, fratres. de Communi. [108]**

DIE XI. OCTOBRIS.

**B. Joannis Leonardi**

**Conf. Duplex.**

**Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter sequentia. (m. t. v.)**

**Oratio.**

**D**eus, qui beatum Joannem Confessorem tuum ad fidem ingentibus propagandam mirabiliter excitare dignatus es, ac per eum in erudiendis fidelibus novam in Ecclesia tua familiam congregasti: da nobis famulis tuis; ita ejus institutis proficere,

ut præmia consequamur æterna. Per Dominum.

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio iij.**

**J**oannes Leonardi in oppido Decimi non longe a Lucensi urbe piis et honestis ortus parentibus, jam inde a prima ætate, solitudinis et precatiõnis amore, grave quiddam ac maturum præ se tulit. Annos natus viginti sex a Deo vocatus ad ecclesiasticæ militiæ nomen dandum, sæcularibus curis illico nuntium remisit. Ac primo inter pueros latinæ linguæ rudimentis instructus, deinde in litteris et philosophicis ac theologicis disciplinis adeo profecit, ut vix acto quadriennio ad sacerdotium ex obedientia promotus fuerit. Multo alacrius tunc ad Domini agri culturam se convertit, et aliquot nactus bonæ indolis nobiles juvenes, cum eos ad virtutis perfectionem sedulo exercuisset, insequenti anno congregationem instituit clericorum Regularium, quam a Matre Dei, ob incensum erga ipsam suæ

devotiõnis affectum, nuncupavit. Mox eorum cura et zelo explicata pueris ac rudibus christianæ doctrinæ præcepta, flagitiosi ad justitiæ semitam traducti, puellarum castitati consultum, pia erecta sodalitia, frequens inventus sacramentorum usus, tantaque peracta est animorum commutatio, ut cum in Lucensi republica, hereticorum præsertim perfidiõsis artibus, ardorent civium odia, profligatique essent mores, ibidem brevi tempore primæva Christianorum pietas revixisse videretur.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

**Lectio iv.**

**T**AM salutarium operum causa incidit Joannes in acerrimas insectationes hominum nequam, qui eum ac socios, etiam apud Pontificem maximum, fictis criminatiõnibus impetentes, recensens coactam familiam

pérdere omni ope nitebántur. Adeo, instigánte dæmone, efférbuit procélla, ut religiósi sodáles omni ad victitándum subsidio priváti, dejectique e suis ædibus, álio perfúgium querere coácti fúerint. Sed aquæ multæ nunquam potuerunt exstinguere caritátem viri Dei, qui præcláre sibi actum ducébat si quídlibet pro Jesu Christi nómine patérétur. Impetráta a summo Pontífice Gregório decimotértio suæ congregatiónis confirmatióne, apostólici suí labóris fructus constánter servávit, imo vel ultra pátriæ reipúblicæ fines ubérrime auxit. Ob cógnitam in árduis étiamnegótiissingulárem ejus prudéntiam, sæpe, magno ubique cum animárum bono, nedum ab Episcopis adhíbitus est ad relevándas componendásque ecclesiárum res, sed et Románi Pontíficis auctoritaté delegátus ad intricáta litígia diriménda, et ad religiósas famílias reformándas. Páriter sancto Josépho Calasáncio, ejúsque pene collápsæ societátí præsto fuit. Haud levem quoque impéndit

óperam negótiis nosocómii sancti Spíritus in Sáxia, et moniálibus oblátis sanctæ Franciscæ Románæ excoléndis.

✠. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. ✠. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

**LECTIO II.**

**G**ráviter dolens gentes ádeo plúrimas remóttis in regió nibus sedere adhuc in ténebris, luce Evangélii caréntes, inflammabátur desidério migrándi in illas oras ad lumen veræ religiónis effundéndum. At cum intellexisset a sancto Philíppo Nério (a quo verus reformátor dicebátur) se suámque congregatió nem ad instituéndos Itáliæ pópulos destinári, divínæ acquiévit voluntáti; mínime tamen abstínuit quin, si áliquam infidélibus opem afferre posset, experirétur. Hinc Præsuli Vives piíssimo se adjúnxit, inítisque cum eo consíliis cœtum instítuit Presbyterórum, quibus propósitum esset idóneos informáre adole-scéntes in díssitas regió-

nes subínde mitténdos ad fidem propagándam: quare mérito véluti auctor censétur præclaríssimi illius instítuti, quod sumórum Pontíficum ópera amplificátum, proferénda per univérsum orbem cathólicæ fidei mirábiliter insérvit. Plura ópera de re sacra et moráli conscripsit cuívis hóminum conditióni accommodatíssima. Dénique a sacro ministério nunquam deficiens, cum tota vitæ ratióne non modo suis, sed et univérso clero præluxisset exémplo, in cinere et cilicio ad Dóminum migrávit Romæ, die nona Octóbris anno millésimo sexcentésimo nono, ætátis sexagésimo sexto. Quem sanctitaté, divínis donis et miraculis illústrem Pius nonus summus Póntifex Beatórum fastis accénsuit. ✠. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homil. Dóminus et Salvátor. de Comuni Evangel. [27] cum ✠✠. de Comuni Conf. non Pont. [108]

DIE XVII. VEL XXV. OCT.  
B. Margaritæ Mariæ Alacque Virginis. Duplex.

**Omnia de Communi Virginum [122] præter seq. Oratio.**

**D**omine Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beatæ Margaritæ Virgini mirábiliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne, ut te in ómnibus, et super ómnia diligétes, jugem in eódem corde tuo mansi ónem habére mereámur. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

**LECTIO II.**



Argaríta Mariá Alacque in pago diocécis Augustodunénsis honésto génere nata, miro præveniéntis grátiae instíntu a téneris annis viam perfecti ónis arrípuit, ac primos innocentíssimi cordis afféctus ad eam interi óris vitæ formam, ad quam divínitus elécta erat, compósuit. Puéllula vix dum rati ónis compos nihil magis in delíciis hábuit, quam gé nibus pósitois, junctisque má nibus cœlésti sponso sistere se, ei cor suum dicáre, et virginálem devovére castitátem, ipso intérius votum supra ætátem in-

spirante. Stúdiū placēdi Jesu, et pietas in Deiparam, cui se ab illo commendatam novit, pariter crevere cum annis. Ex hoc Christi amore, quem producta ad plures horas meditatio alebat, ingens exarsit patiendi amor, ut ei, quem unice diligebat, similem se exhiberet. Hinc corpus jejuniis, vigiliis, aliisque asperitatibus ad morbum usque afflixit: animum vero inter diuturnas vexationes, quas patre orbata a famulis pertulit, ad imaginem ejus, qui mitis est et humilis corde, constanter effingens, brevi ad magnam sanctitatem in ipso sacculo pervenit.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et.

**Lectio II.**

**O**rdinem Visitationis sanctae Mariae, quo a propinquis abesset longius, Paradii ingressa, statim in tirocinio cunctis religiosae vitae virtutibus indubium sanctitatis specimen praebuit. Interim

Christus sublimioris orationis dono, internis locutionibus, aliisque charismatibus sponsam suam illustrare et ad sua consilia propius disponere instituit. Inter varias apparitiones illa maxime celebris fuit, qua ante Eucharistiam oranti Jesus semetipsum conspicendum obtulit, et divinum corpus in aperto pectore flammis incensum, et spinis constrictum ostendit, praecipitque, ut pro tali caritate, et ad reparandas injurias illa publicum cordi suo cultum, magnis propositis gratiarum premiis, instituendum curaret, et cunctantem humilitatis causa, seque tantae rei imparem dicitantem, promisso auxilio et praenuntiato successu confirmavit. Exinde fidissima Christi sponsa hoc unum spirare, verbis, exemplis, scriptis, jugi vitae suae sacrificio hoc unum quære visa est, ut sanctissimo cordi Jesu interior, exteriorque cultus, qualem ei placere ab ipso didicerat, ab omnibus tribueretur, quod et tunc fieri mirabiliter cepit, et postea, ap-

probante sancta Sede, quanto fructu sit perfectum universus orbis catholicus testatur.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

**Lectio III.**

**Q**uod enixe a Domino petierat, ut illustria ejus dona in sui contemptum verterentur, abunde obtinuit. Nunquam enim defuere domi et foris qui illam misere illam credentes, aut saltem dubitantes, ejus spiritum dicerent carperent, vel certe assiduis ac duris subjicerent experimentis: in quibus tamen mitissima Virginis humilitas, patientia, obedientia, et caritas magis semper eluxerunt. Contumelias quoque ac minas ab extraneis obnoBILEM alumna tirocinio fortiter dimissam invicta constantia toleravit. Accessere morbi graves et diuturni, quibus levandis remedia a medicis oblata nocebant. Inter haec illa in divino Christi corde absorpta, et igne caritatis

ejus incensa plura et graviora pati semper optabat. Extrimum morbum patientissime toleranti subito divini judicii cogitatio tantum injecit metum, ut cum tremore ac fletu Crucifixum stringens misericordiam sibi precaretur: sed mox consolationes Dei laetificaverunt animam ejus. Igitur tamquam consummata caritatis victima, die decima septima Octobris ad sponsum evolavit, annos nata tres et quadraginta. Coelestem ejus gloriam miracula confirmaverunt, quibus rite probatis, eam Pius nonus Pontifex maximus magna piorum gratulatione quartodecimo Kalendas Octobris anni millésimi octingentesimi sexagesimi quarti beatarum Virginum coetui ascripsit.

**R.** Afferentur. [133]

In *iiij. Nocturno, Homil.* Saep̄ vos, fratres. *de Comuni.* [136]

DIE XXI. OCTOBRIS.  
SS. Ursulae et sociarum  
Virginum et Martyrum.  
Duplex.

Omnia de Comuni Virginum [122] praeter sequentia.

In utrisque Vesperis, ad Magnif. et in Laud. ad Benedictus, Añã. Prudentes Virgines. *℞.* Adducéntur. Oratio. Da nobis. 532.

Commem. S. Hilarionis Abbatis. 531.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio 1b.

**Q**UM sæculo quinto fere medio Attila Hunnorum dux a prima sua in Gallias irruptione, ubi ad Catalaunum profligatus fuerat, in Panoniam revertebatur, antequam Rhenum traiceret, nobilissimam urbem Coloniã Agrippinã agrèditur, et ob odium catholice religionis, quæ ibi maxime florèbat, eam rapina ac cædibus vastabat. Sævissimo autem impetu barbari libidine æstuantes in virgines puellas iruebant, quæ a Britannia emigrantes ibidem commorabantur: inter quas præclarissima exstitit virgo Ursula nomine, quæ ceteras hortabatur socias, omnia potius subire tormenta mortemque crudelissimam obire, quam virginalis pudicitie detrimentum pati.

*℞.* Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. *℞.* Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et deducet.

Lectio 1c.

**C**UM nobile hoc virgineum agmen constantissime Hunnis restitisset, partim ab ipsis gladio trucidata, partim sagittis transfixa, partim vectibus contusæ martyrium consummarunt. Ursula vero super comitum suarum velut celestium margaritarum acervum gloriosa victima procumbens, purpura pro fide et castitate fusi sanguinis decorata, exercitum geminis virginitatis et fidei coronis insignem in cœlum triumphans introduxit. Postquam vero sæva barbarorum procèlla defluxit, Colonienses superstites Virginum aliorumque civium Martyrum corpora ut pretiosa pignora collegèrunt, et summo honore condiderunt.

*℞.* Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. *℞.* Pro-

pter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Lectio 1d.

**I**N agro virgineo sanguine rubro, in quo sacra quies Martyribus data fuit, basilica ædificata est, jam medio sæculo septimo sanctarum Virginum dicta, ob quarum reverentiam nullum exinde cadaver humanum illic tumulabatur. Quæ sæculo nono monasterium facta, initio decimi moniales ob metum Hungarorum profugas recepit, semper ab inclytæ civitatis Præsulibus liberaliter dotata et pie visitata. Conspiciuntur usque in hunc diem ecclesiæ sæpe restauratæ muri Martyrum loculis undique exornati, dum major reliquiarum pars intra chori parietes et sub pavimento latitant; cernuntur in proximo oratorio innúmera virginum capita, martyrii vestigiis passim insignita, partim crinibus sanguinolentis tecta. Hæc sacra pignora præteritis temporibus piis peregrinationibus fideles prosecuti sunt.

*℞.* Afferentur. [133]

In III. Nocturno. Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio 1e. Cap. xxv.

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. xcij. al. xxij. de Verbis Domini.

**S**apièntium lampades ardèbant de oleo intèrno, de conscièntiæ securitate, de interiøre glòria, de intima caritate. Ardèbant tamen et illarum fatuarum. Quare tunc ardèbant? Quia non dèerant laudes hominum. Pòstea vero quam surrexerunt, id est, in resurrectione a mortuis, cœperunt aptare lampades suas, id est præparare Deo operum suorum reddere rationem. *¶* Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat, nemo est tunc qui non de se cogitet, non ergo erant qui oleum venderent; cœperunt deficere lampades et convertèrunt

se fátuæ ad quinque prudéntes : Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguuntur. Hoc quærébant, quod consuéverant, id est, aliéno óleo lucére, ad aliénas laudes ambuláre.

**R.** Hæc est Virgo sápiens quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secúm óleum : \* Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad nuptias. **V.** Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exíte óbviám ei. — Et veniénte.

**Lectio viij.**

**C**lausum est óstium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est : Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos : in arte mea non vos agnóscó, ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum : et nescit vítia, et júdicat vítia ; nescit faciéndó, júdicat arguéndó. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Quam multi estis, fratres mei, in nómine Christi : sint in vobis quinque prudéntes, sed nolite quinque hómines. Sint in vobis quinque

prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Veniet enim hora, et quando nescimus veniet. Média nocte veniet. Vigiláte. Sic clausit Evangélium : Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

**R.** Média nocte clamor factus est : \* Ecce sponsus venit, exíte óbviám ei. **V.** Prudéntes Vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce. **Gloria.** Ecce.

**Lectio ix. de S. Hilarione et Commem. ejusdem in Laudibus. 532.**

DIE XXIII. OCTOBRIS.

SS. Redemptoris.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

**Aña 1.** Virgam virtútis suæ emíttet Dóminus ex Sion, et regnábít in sæculum sæculi.

**Ps.** Dixit Dóminus. 143.

**Aña 2.** Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo : mandávit in ætérnum testaméntum suum.

**Ps.** Confitébor .... in consílio. 143.

**Aña 3.** Misericórdia mea, et refúgium meum Dóminus : suscéptor meus, et liberátor meus.

**Ps.** Crédidi. 148.

**Aña 4.** Apud Dóminum misericórdia, et copiósá apud eum redemptio.

**Ps.** De profúndis. 155.

**Aña 5.** In quacúmque die invocávero te, exáudies me : multiplicábis in ánima mea virtútem.

**Ps.** Confitébor tibi .... quóniam. 161.

**Capitulum.**

Tob. iij.

**B**enedíctum nomen tuum, Deus patrum nostrórum : qui cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui invocant te.

**Hymnus.**

**C**reátor alme siderum, Ætérna lux credéntium,

Jesu Redémptor ómnium, Inténde votis súpplicum,

Commúne qui mundi nefas Ut expiáres, ad crucem E Vírginis sacrário

Intácta prodis víctima. Cujus potéstas glóriæ,

Noménque cum primum sonat; Et Cœlites, et ínferi Treménte curvántur genu.

Qui dæmonis ne fráudibus Períret orbis, ímpetu Amóris actus, lánguidi Mundi medéla factus es.

**T**e deprecámur últimæ Magnum diéi Júdicem; Armis supérnæ grátia Defénde nos ab hóstibus.

**Jesu,** tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, Cum Patre, et almo Spírítu,

In sempitérna sæcula.

Amen.

**Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.**

**V.** Redemísti nos Dómine in ságuine tuo.

**R.** Et fecísti nos Deo nostro regnum.

**Ad Magnif. Aña.** Salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum, allelúia.

**Oratio.**

**D**eus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti : concéde, ut hæc beneficia recoléntes, tibi perpétua caritáte adhærere, et ejúsdem redemptiós fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM.

**Invitator.** Redemptórem sæculórum ipsum Regem Angelórum, \* Adorémus Dóminum. **Ps.** Veníte. 2.

**Hymnus.**

**R**erum Creátor óptime,  
Rectórque noster  
áspice :

Nos a quiéte nóxia  
Mersos sopóre libera.

**M**entes, manúsque tólli-  
mus,

Prophéta sicut nóctibus,  
Nobis geréndum præcipit,  
Paulúsque gestis cénsuit.

**T**e, sancte Christe, pósci-  
mus,

Ignósce culpís ómnibus :  
Ad confiténdum súrgi-  
mus,

Morásque noctis rúmpi-  
mus.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Vírgine,  
Cum Patre, et almo Spírítu,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

**In I. Nocturno.**

**Añã.** Voce mea ad Dó-  
minum clamávi, et exau-  
dívit me de monte sancto  
suo.

**Psalmus lxxj.**

**D**omine quid mul-  
tiplicáti sunt qui  
tribulant me? \*  
multi insúrgunt advér-  
sum me.

Multi dicunt ánimæ  
meæ : \* Non est salus ipsi  
in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscé-  
ptor meus es, \* glória mea,

et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum  
clamávi : \* et exaudívit  
me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporá-  
tus sum : \* et exsurrexi,  
quia Dóminus suscepit me.

Non timébo millia pópuli  
circumdántis me : \* ex-  
súrge Dómine, salvum me  
fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti  
omnes adversántes mihi  
sine causa : \* dentes pec-  
catórum contrivísti.

Dómini est salus : \* et  
super pópulum tuum be-  
nedíctio tua.

**Añã.** Voce mea ad Dó-  
minum clamávi, et exau-  
dívit me de monte sancto  
suo.

**Añã.** Dómine Dóminus  
noster, quam admirábile  
est nomen tuum in uni-  
vérsta terra!

**Psalmus lxxij.**

**Q**uóniam eleváta est  
magnificéntia tua, \*  
super cælos.

Ex ore infántium et la-  
cténtium perfecísti lau-  
dem propter inimicos  
tuos, \* ut déstruas inimí-  
cum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos  
tuos, ópera digitórum tuó-  
rum : \* lunam et stellas,  
quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod  
memor es ejus? \* aut filius  
hóminis, quóniam vísitas  
eum?

Minuísti eum paulo mi-  
nus ab Angelis, glória et  
honóre coronásti eum : \*  
et constituísti eum su-  
per ópera mánuum tuá-  
rum.

Omnia subjecísti sub pé-  
dibus ejus, \* oves et boves  
univérsas : insuper et pé-  
cora campi.

Vólucres cæli, et pisces  
maris, \* qui perámbulant  
sémitas maris.

Dómine Dóminus no-  
ster, \* quam admirábile  
est nomen tuum in uni-  
vérsta terra!

**Añã.** Dómine Dóminus  
noster, quam admirábile  
est nomen tuum in uni-  
vérsta terra!

**Añã.** Dóminus in templo  
sancto suo : Dóminus in  
cælo sedes ejus.

**Psalmus r.**

**I**N Dómino confído :  
quómodo dicitis áni-  
mæ meæ : \* Trásmigra  
in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccató-  
res intendérunt arcum,  
paravérunt sagittas suas  
in pháretra, \* ut sagittent  
in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti,

destruxérunt : \* justus  
autem quid fecit?

Dóminus in templo san-  
cto suo, \* Dóminus in  
cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem  
respiciunt : \* pálpebræ  
ejus intérogant filios hó-  
minum.

Dóminus intérogat ju-  
stum et ímpium : \* qui  
autem díligit iniquitátem,  
odit ánimam suam.

Pluet super peccátos  
láqueos : \* ignis, et sul-  
phur, et spírítus procellá-  
rum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dómi-  
nus et justitias diléxit : \*  
æquitátem vidit vultus  
ejus.

**Añã.** Dóminus in templo  
sancto suo : Dóminus in  
cælo sedes ejus.

**V.** Rédimé me Dómine,  
et miserére mei. **R.** In  
Ecclesiis benedicám te  
Dómine.

De Isaía Prophéta.

**Lectio j.****Cap. lxxj.**

**U**díte me qui sequi-  
mini quod justum  
est, et quæritis

Dóminum : atténdite ad  
petram unde excísi estis,  
et ad cavérnam laci, de  
qua præcisi estis. Consolá-  
bitur ergo Dóminus Sion,  
et consolábitur omnes ruí-

nas ejus : et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis. Atténdite ad me pópule meus, et tribus mea me audíte : quia lex a me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiescet. Prope est Justus meus, egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt : me insulæ exspectábunt, et bráchium meum sustinébunt.

**R.** Vidi Dóminum sedentem super sólium excelsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : \* Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum.

**V.** Séraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri. — Et ea.

**Lectio ij.**

**L**eváte in cœlum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum : quia cœli sicut fumus liquescunt, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut hæc interíbunt : salus autem mea in sempiternum erit, et justítia mea non defí-

ciet. Audíte me qui scitis justum, pópulus meus lex mea in corde eórum : nolíte timére opprobrium hóminum, et blasphemias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorábit eos tínea : Salus autem mea in sempiternum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum.

**R.** Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi : \* Aperi óculos tuos, et vide tribulatióem nostram. **V.** Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. — Aperi óculos.

**Lectio iij.**

**C**onsúrge, consúrge, in dúere fortitudinem bráchium Dómini, consúrge sicut in diébus antiquis, in generatióibus sæculórum. Numquid non tu percussísti supérbum, vulnerásti draconem? Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi vehementis : qui posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberáti? Et nunc qui redempti sunt a Dómino, reverténtur, et

venient in Sion laudátes, et lætítia sempiterna super cápita eórum, gáudium et lætítiam tenébunt, fúgiet dolor et gémitus. Ego, ego ipse consolábor vos : quis tu ut timéres ab hómine mortáli, et a filio hóminis, qui quasi fœnum ita aréscet? Et oblítus es Dómini factóris tui, qui teténdit cœlos, et fundávit terram : et formidásti júgiter tota die a fácie furóris ejus, qui te tribulábat, et paráverat ad perdéndum : ubi nunc est furor tribulántis? Cito veniet grádiens ad aperiéndum, et non interficiet usque ad internecióem, nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dóminus Deus tuus.

**R.** Deus, qui sedes super thronum, et júdicas æquitátem, esto refúgium pauperum in tribulatióne : \* Quia tu solus labórem, et dolórem considéras. **V.** Tibi enim derelíctus est pauper, pupíllo tu eris adjútor. — Quia tu solus. **Gloria Patri.** Quia tu solus.

**In II. Nocturno.**

**Aña.** Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

**Psalmus xiv.**



Xáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : \* prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : \* et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : \* et holocástum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : \* et omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo : \* et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : \* nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : \* in potentáibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis : \* nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : \* nos autem surréximus, et erecti sumus.

Dómine salvum fac regem : \* et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

**Aña.** Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.